

historiae explanatio quomodo filius naue legerit omnia
 uerba legis: quae scripsit moyses coram omni ecclesia filiorum
 israhel. postea uero dominus quomodo hoc populo suo faciat
 ostendere non mihi uidetur otiosum. Ego quidem arbitror.
 quod si quando legitur nobis moyses & per gratiam domini uelamen
 litterarum remouetur. & incipimus intellegere quia lex
 spiritalis est. & quia uerbi causa dicitur lex non infrenabis
 os boni trituranti. non debet haec sed de apostolis dixerit.
 & rursum cum in lege dicitur quia abraham duos filios ha-
 buit. unum de ancilla & unum de libera. ego in his intellego
 duo esse testamenta & duos populos. tam nobis legem que
 sic intellegitur. quae spiritalis nominat paulus. ihesus dominus
 legit. & ipse est. qui haec in auribus totius populi recitat pre-
 cipiens nobis ne sequamur occidentem litterarum. sed tene-
 amus spiritum uiuificantem. Legit ergo nobis ihesus legem cum
 nobis leges reuelat arcana. Non enim nos quid de ecclesia
 sumus catholica. spernimus legem moysi. sed suscipimus
 eam. si tamen eam nobis ihesus legerit. Sic enim recte pote-
 rimus intellegere legem. si eam nobis ihesus legat. ut ipse legen-
 te. nos sensum eius intellegentia capiamus. Aut non est
 putandum quod inde conciperat sensum ille qui dicebat.
 Nos autem sensum christi habemus. ut sciamus quae ad deum donata
 sunt nobis quae & loquimur. & illi qui dicebant. nonne
 ardens erat in nobis. cor nostrum cum nobis. aperire & scriptu-
 ras in uia. Quando incipiens a lege moysi usque ad prophe-
 tas legit eis omnia & reuelat. quae de deo scriptae sunt. Mira-
 tamen sermonis figura ostenditur in his quae scriptae sunt
 cum dicit. Non erat sermo ex omnibus. quae mandauit moyses.
 quem non legerat ihesus in auribus totius ecclesiae israhel. & primo